



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Ivstitia Et Ivre Libri Decem, Reuerendi P. F. Dominici
Soto, Segobiensis, Ord. Præd. Theologi præclariss.**

Soto, Domingo de

Venetiis, 1608

7 In tributis exige[n]dis peccarine possit acceptione personarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38878

dum, sed contra iustitiam interpretandū, quod diuites vel alios quoslibet in quibus nihil virtutis aut legitimæ excellentiæ existit, quispiam animo reputet secundum rei veritatem alijs anteferendos, qui virtute pollent aut alia dignitatis excellentia. Secundo & hoc quoque mente speculandū est, quod & in gratuitis honoribus acceptio eō tingere potest personarum, Nam illos honoris titulos qui dignis debentur, sic euulgare ac demittere vt indignis quoque adferuntur, non caret iniuria, quæ dignis irrogatur. Enimvero cum honor in excellentia consistat, quando honoris nomen ex quo in commune omnibus inuulgat, facis tunc illud non esse honoris nomen, ac subinde dignos iure suo depellis. Verbi gratia si eodem titulo & Anistitem saluatas quo simplices sacerdotes, eodemque magnatē atq̄ plebeium magistrum ac discipulum, nobilem & ignobilem. Secundum autem argumentum conclusio secunda ab unum de dissoluit. At vero regi honores prohibito inter ciues impartire liceat, & quartus partim articulus declarauit, & subsequens ad faciet plenus.

Ad secundū arg.

ARTICVLVS VII.

Vtrum in tributis exigendis peccari possit acceptione personarum.

Primum argu a parte negativa.

Arg. 2.

Arg. 3.

Superest postremo in hoc 7. art. de tributis verbū adicere, Vtrum & in illis quoque vsu venire possit personarum acceptio? Existit enim a parte negativa primum arguitur. Acceptio personarum in bonorum distributione committitur, tributum aut exactio honorum communium collectio est, & accumulatio potius ergo (vt nomen sonat) est contributio quam distributio. Atque adeo illic nulla esse videtur personarum acceptio. Secunda arguitur. Cap licet multum extra, de censu iubetur rationem haberi cæciæ tributorum iugo afflictetur, & sic eo. tit. l. etatem sancitur quoque & etatem esse considerandam, nempe vt neque pueri, neque senes census soluant. Et tertio arguitur. Nobiles tributorum exemptione liberantur, quod rex pro suo arbitratu creare potest, ergo acceptio personarum

non est in huiusmodi tributorum exactioibus illicita. In contrarium tamen est quod principes populū tributis vexantes neque tam ob causā legitimas, quam propter odia vel fauores, eadem exigentes, non solum apud Philosophos & seculares Historiographos, verum & in sacris pesime audiunt. Hanc enim ob rem (vt 3. Reg. 12. sacra refert historia) Roboam maxima fuit regni portione multatus, quod præ patre suo molebatur plebi graue iugum imponere.

Quamplurima tributorum nomina iuris prudentes multiplicant, quæ inter alios Syluester sub verbo, Gabella, propemodum connumerat, vt pensio, quæ dicitur pendendo, hoc est soluendo, guidagium, &c. Quatuor tamen ad rem spectantia huc accessimus. Primum est census quod a cetero deriuatur, eo quod recenseri facultates debent, quo inde tributa pro eorum ratione soluantur, vt habetur l. forma, de censib. At vero peculiare nomen sit ab alijs distinctū pensionem illam singulariter significat, quam ciues vitium pro capite principi pendunt, hoc enim est de quo Iudæi Christi seiscitabantur, vbi quærebant, an liceret Cesarī censum soluere? Tributa enim que pro defensione & gubernatione Reipublice imperabant, tribuere nihil recusabant, sed illud, quod iugum subiectionis designabat, a qua ipsi se liberos arbitrabantur tanquam filij Abrahæ. Vnde alibi. Nos filij Abrahæ sumus & nemini seruiimus vnquam. Huiusmodi autem census inter Christianos principes non est vsu frequens, eo quod ad superbiam, tumorem potius & ad auaritiæ stimulum attineat, quam ad publicorum sumptuum necessitatem. Satis namque se ciues subditos profitentur, cum alia iusta capessunt. Illam ergo ob causam Cæsares describere orbi iubebant. Vnde Dauid (vt 2. Reg. 24. in memorie proditum est) inde tam acerbas dedit penas numerati populi. Atque huc referebatur quod Christus interrogauit. Cuius est iugum hæc? Numismatis, quasi solū in signum subiectionis & adorationis Cæsaris, illud exolueretur. Tributū autem (vt nomen ipsum sonat) a tribuendo seu contribuendo dicitur, eo quod quisque stipem tribuat. Et quoniam antiquitus illa stipem contributio non fiebat nisi ad alendum publicum militem, inde etiam stipendiū deriuatū est. Vtrumque

que habetur le ager ff de verb & rer. signi-
fic. Differt ergo tributum a censu tam ra-
tione materiae, quam ratione finis. Tribu-
tum enim de terræ nascentibus in sub-
sidium Regis vel reipublicæ contribuitur,
census vero de capite ad profitendam sub-
iectionem. Tertium autem genus pen-
sionis est vectigal, ab utroque differens, si-
ne pariter & materia. Soluitur enim de
mercimonijs, ad murorum, pontium, aliorum
nis gratia, ad murorum, pontium, aliorum
que id genus publicorum operum refectio-
nem. Dicitur ergo a vehendo vectigal, idē-
que a portu, portorium, quia portorii sol-
uitur. Quare in oratione de provincijs cō-
sularibus utrunque Cicero coniungit, vecti-
gal ac portorium, indeque Hispaniè *Portia* &
go. Quartum tributum est pedagium, mate-
ria idem vectigali, quia ex mercimonijs
soluitur, sine tamen distans quia custodiae
viarum, quæ latronibus aut hostibus se-
pianitur, dicatum est. De his ergo cunctis
fit prima conclusio. Hæc omnia pensio-
num genera si ob prædictas causas impo-
nantur iuste sunt, debenturque adeo prin-
cipibus a ciuibus in conscientia, iuxta ver-
bum Pauli ad Roman. 13. Ideo necessitati
subditi estoie, non solum propter iram, sed
etiam propter conscientiam. Ideo enim &
tributa præstatis, ministri enim Dei sunt.
Reddere ergo omnibus debita, cui tribu-
tum, tributum, cui vectigal, vectigal. Et
referunt ad hoc propositum in decreto Au-
gustini extra, de censibus, capitu. Omnis.
Aiecit ergo Paulus Dei esse ministros, ut
intelligamus ab eius numine deriuari le-
gem soluendi tributa ad alendos prin-
ces. At uero (ut illic bene Diuus Thomas
adnotauit) nihil in præmium debent espe-
tere, sed solum ad sustentationem status &
necessarios sumptus. Nam (ut ait Ari-
stot. 5. Ethico. capitu. 6.) proprium præ-
mium principis, est honor, quoqui non
est contentus, tyrannus est: Honorē aut-
tem illum Christiani non ad humanum
qui vanus est, sed ad diuinum, qui in coelis
nos manet, referte debent. Secunda con-
clusio est. Si tributorum onera non pro
ratione cuiusque facultatis & substantiæ,
aut pro ratione vecturæ ac negotiationis,
aliove legitime causæ, sed alius intuitu,
quæ ad rem non pertinet, exigatur, acce-
ptio est personarum. Id quod non tam cre-
bro principi contingere potest, quam ciui

tatis quæstoribus & senatoribus, qui ideo
restituere tenentur, si fraude aut vi vian-
tur vlla. Principi enim aliud periculum
imminet, nempe auctiora exigendi, quam
pro regni necessitate. Hæc enim semper
pensanda est, ut cessante tributis causa, ces-
set & tributum. At quod aliquod specimen
legitimæ formæ tributorum exhibeamus,
sit tertia conclusio. Tributa facultatibus
potius, possessionibus, ac negotiationibus
imponenda sunt, quam personis, nempe
ut quod quis bonis locupletius abundans,
aut plus lucratur, plus soluat, non quod plus
indiget. Causa autem huius explicandæ
conclusionis, illud tributis genus, quod non
modo Hispania, verum & in alijs quoque
provincijs in vsu est, explicemus. Id no-
strates *Alcaualam* vocant, Hæc enim tri-
buti forma a cætum paulove pluribus hinc
annis ortum apud nos habuit, idque iusta
de causa: nimirum dum Rex Alphonsus
regnum Granatæ bello petebat. Post ve-
ro non modo durantijs, uerum crescenti-
bus belorum malis, factum est perpetu-
um. Et habet quidem nonnullam uecti-
galis imaginem, pro eo quod ex mercimo-
nijs quoque soluitur. Differt tamē latiori ma-
teria, quia non solū ex illis, quæ a loco in lo-
cum transfrahuntur, sed ex rebus quibusque
venditis corraditur, a cuius præterea solu-
tione neque nobiles eximuntur. Quin &
sine quoque differt. Quoniam non tantum
reficiendis mutis ac pontibus adscriptum
est, sed publicis regis sumptibus. Haud ta-
men inde iniquitatis condemnandum est,
quod nouum sit. Nam dum tributa alia fa-
cultatibus ciuium, & negotiationibus im-
posita alendo regi sustentandaque reipub-
licæ non sufficiunt, necesse est alia uia id
prouidere. Neque uero ideo arguen-
dum est iniustitiæ, quod nobiles etiam compre-
henderet. Enim uero cum plebes reliqua
potis non sit tam immodicos ferre sum-
ptus, æquitas fert ut nobilium auxilio ele-
uetur. Hoc tamen iniustitiæ specimen præ-
se fert, quam lex Vniuersi. C. de uctiga.
cauere in tributis iubet, nempe ne pro
his rebus, quæ ad usum proprium perti-
nent, exigantur. Enim uero quod coempto-
res, qui ut reuendant, coemunt, quoniam
venditionis exoluant, rationi profecto con-
sentaneum est. Illis enim idem est, lucrum,
quid agricolis, fructus, sed tamē quod qui
ut propriæ necessitati succurrat, domum
suam,

Tertia
conclu.

Tributu
quod apud
Hispanos.
Alcaualam
uocatur.
Rex Al-
phonsus.

Interest
iter hoc
tributi,
genus &
uectigal

Iniusti-
tias huius
tributi.

OTO
ure
gibus
DIE
13

suam, aut rem aliam vendit, tributum pendat, & lex illa, & ratio reclamare videntur. Nam tunc non qui plus habeat, plusve lucretur, sed qui plus eget, amplius soluit. Ceterum, re vera nisi bellorum necessitas in causa fuisset, ut fructus huius tributi dicerentur, via erat paratissima subvertendi regni, regisq; ararium. Id tamen non potest non monstrum apparere, quod civis civibus tributum solvant, illudque maxime quod regi penditur in commune bonum. Cui & aliud adiungitur incommodum videlicet, quod miseri civis, quibus servitia imperantur, inde gravius premuntur. Nam quantum venditur, tantum ipsi replere coguntur. Et enim cum sumptuum necessitas in dies magis ac magis regi crescat, necesse est populum multis nominibus in dies molestius vexari. Adde quod domini quibus huiusmodi tributum venditur, ad rigorem illud exigunt, ut decimum quemque numum exactissimè exposcant, cum tamen rex vix unquam vigesimum percipiat. Et profecto quamvis decima sit consignata, tamen nisi ubi virens regni necessitas illud postulare, nimis graue esset, tributum hoc ad rigorem exigere. Quod quidem rex sanctè animaduertens, de huiusmodi quota sollet cum regno componere ac pecifici, ut remissior fiat pensio ac tolerabilior, quod tamen inferiores domini non faciunt. Huic autem & aliud accedit damnum, quod cum leges exigendi huius tributi, si regi, tantum quæstores existerent, tollerabiles sint, tamen reliqua quæstorū turba in fraudem populi illis abutitur, ut illa vexatione non decimam tantum, sed plusquam octauam extorqueant. Nihil contra regum necessitatem obmurmuro, quæ legem non habet & eorum iustos animos cogere potest, sed rei tantum naturam explico, ut si possibile esset alijs vijs publice necessitati prospici, ab huiusmodi alienationibus publici ararii caueretur. Puteus enim quotiescunque opus fuerit exhauriendus est, uenas ta-

men fontium prescindere ius nature non sinit. Quod si quis instans ius scilicet, ad hunc tributum sic in conscientia, debeatur ut quilibet, neque a quæstore neque a portione requisitus teneatur ultra ea offerre? Respondetur primum, nemini licet laenter exactorem eludere, nisi ubi parentissima esset vestigalis iniuria. Secundum membrum responsionis sit, quod dum hinc magno cum rigore exiguntur, satis est quod quisque dum tributum petitur, soluat obedienter, maxime ubi debitum non est magni momenti. Quarta conclusio. Nulla est personarum acceptio, si nobiles & id genus a tributorum solutione eximantur tum ob maiorum clara gestorum stemmata, tum quia rei publicæ tuendæ designati sunt. Quin vero & asserzioni huic subiecerim, quod potest rex vrgente regni necessitate huiusmodi honores vendere, si tamen duo caueantur. Primum, ne adiunctam habeant iustitiæ functionem aut administrationem aliam, aut gubernationem, ut articulo 4. de senatoribus dicebamus. Mox, ne id fiat in aliorum iniuriam. Potest inquam tali ingruente necessitate rusticos & humiliter natos pretio tributorum liberrate donare. Nihil enim inde iniustitiæ contrahi videtur. Et sanè videtur hoc iure, ff. de donationibus, & l. si pollicitus, ff. de pollicitatio, quibus permittitur pollicitatio, quæ gratia obtinendi publici honoris fit: sed tamen hoc cauendum est, ne tributum, quo vnus leuatur, onerentur reliqui oppidani, sed excipiantur a iumma quam oppidum soluit.

Per hæc ergo solutum est primum argumentum in frontispicio ante quæstionem obiectum. Enimvero ut in distributibus sic & in contributionibus existere potest personarum acceptio. Ac subinde dilata sunt reliqua duo argumenta, quoniam a quitas misericordiarum cæcis ac truncis patrocinator, ne miseris afflictio addatur. Et de nobilibus quarta conclusio respondit.

Finis Libri Tertij, de Iustitia & iure.